



Ant. v. Griesbach. Ant. v.

Nf. 59.1.



87

CVRARVM  
IN  
PSALMVM SECVNDVM  
POSTERIORVM  
PARS ALTERA.

---

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO  
DOMINO  
CAROLO AVGVSTO  
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE  
GVESTPHALIAE ETC.

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
PRO  
ADJVNCTI FACVLTATIS PHILOSOPHICAE  
LOCO RITE OBTINENDO

A. D. XXXI. IANVARIJ MDCCLXXXIV.

DEFENDET  
M. IOANNES GODOFREDVS HASSE  
FAC. PHILOS. ADJ. DESIGN.

h.

---

IENAE  
LITTERIS STRAVSSIANIS.



CARAVAM  
IN  
PSALMVVM SECVNDVM  
POSTERIORVM  
PARVA ALTEVA

---

RECTORI ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SACRAMENTO DIGNO AC DOMINO  
DOMINO  
CAROLO AVGVSTO  
DICE SACRAMENTO DIGNO AC DOMINO  
DIGNISSIMO AC DOMINO  
CONSENTIENTI AULICISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE  
TRIO  
ADJVNCTI FACULTATIS PHILOSOPHICAE  
LOCO RITE OBTINENDO  
A. D. MDCCLXXII. LAEVAE N. CCCXXXV.  
DEBET  
M. IOANNES GODOFRIDVS HASSE  
R. C. Phil. et. des. gen.

---

LEVAE  
LITTERIS STRASVANSIS





**Q**uando, quae sit *carminis*, *inter Davidica numero secun-*  
*di*, ratio et argumentum; quae singulorum verborum  
vis et potestas; quae res videatur subiecta, quae! perso-  
na; quomodo tractentur singula, quomodo expriman-  
tur; quibus denique luminibus distinguantur; sepositis priuatis ra-  
tionibus, superiori libello excussimus; nec nunc, quod praecipue  
retractandum addendumue sit, *a)* habeamus: sequitur, vt promissis  
ibi factis stemus et in recensendis examinandisque aliorum de eodem  
carmine sententiis, diluendis objectionibus et conformandis N. E-  
dicis, operam et industriam collocemus.

Λ 2

Ac

*a)* Nam, quae hinc, indef monuerunt viri *νεγρωτες* bene et eru-  
dite, ea, cum singula potius verba quam vniuersam tractandi ra-  
tionem attineant, in vsum vocabuntur a nobis in *editione Psalmo-*  
*rum critico-philologico-exegetica* ad modum Virgilii Heyniani in-  
stituta, quam paramus, nisi S. V. *Starck*, Cl. *Anton* aut alii doctio-  
res nos occupauerint. Nam nos quidem nonum, opus, preme-  
mus in annum.



Ac primo statim in limine fatemur vltro, nos plerorumque interpretum pietate et omni doctrinarum genere hodieque praeslantium, voces dissentientes a nobis habere, quippe qui in alia omnia abeunt, et, Christum, Messiam, Christianae religionis auctorem, cani a futuri temporis vate, vno ore profitentur. In qua quidem sententia, quamquam conueniunt fere omnes, non eodem tamen omnes modo Christum expriment. Sunt, qui diuinitatem Christi inde extorqueant *b*) eundemque dicant ab aeterno a Deo genitum, Iehouae non imparem, hoc loco confirmari; quae licet priscorum Theologorum communis, diu tamen explosa apud optimum quemque *c*) opinio est, quae ne sacris quidem N. T. litteris confirmatur, vt mox videbimus. Alii Christum, non deum illum quidem sed Messiam, vnctum, regni sublimioris conditorem atque ad hoc diuinitus excitatum inueniunt *d*) in quo allegationes Noui Foederis vnice respiciunt. Tertia interpretandi ratio eorum est, qui Iesum a mortuis resuscitatum et hac via Messiam demonstratum, Paulo duce, imprimis vrgent, *e*) (Eos enim, qui sensum duplicem cum *Coccejo* sumunt, aut statuunt, proprie quidem de Dauide valere omnia, sensu vero mystico et abstrusiore Christum innui, quo in numero

Gro-

- b*) Quos cognoscere cui volupe est, adeat *Calonii* (Abr.) Bibl. illustrata p. 932. *Clemmii* fundamenta Theologiae e Vet. Test. diss. III, p. 35. *Joh. Frischmuth*, Messias, filius dei disp. Icn. 1676. *Zicklers* Erklarung der Beweisprüche h. S. T. I. S. 169. *Zachariae* disputat. de vsu dogmatico nominis filii dei Gotting. 1768. Ejusd. biblische Theologie Th. I. p. 490 sqq. 478 sqq. *Lange* in den exegetischen Versuchen I. Th. partic. 4. p. 688 sqq.
- c*) Lege *Doederleinii* nostri Institut. Theol. Christ. P. I. p. 319. P. II. p. 489 (edit. alt.) *Herder's* Geist der Hebr. Poesie II. Th. S. 401 f.
- d*) *Koebler* im Repertor. für bibl. und morgenl. Litteratur Th III, p. 8 et alii.
- e*) Quorum agmen init *I. D. Heilmann* in disquis. de ratione, qua Iesus sua ex mortuis ἀναστρεται Messias demonstratus sit, in opusc. edit. Danouianae P. II. p. 543 sqq. *I. D. Michaelis* im kritischen Collegium über 3 Psalmen von Christo p. 542. *I. B. Koppe* N. T. epist. ad Galat. excurs. II, p. 91 sqq. *Knapp* in der Psalmen Uebersetzung ad h. l. p. 4.





*Grotium* f) ponendum esse cum aliis, g) scimus, nihil prorsus curamus.) His autem omnibus, quamvis id in genere opponi posse videamus, difficulter fieri, ut Dauides tam perspicax ac luculentus nuntius futuri aevi habeatur, (quae res altioris indaginis est, alio loco a nobis examinata; b) tamen argumenta potiora, (neglectis iis, quae merae videntur argutiae,) quibus vsi sunt hodieque vtuntur plures, enumeremus, enumerata refellamus. Eorum autem *quatuor* commodè instituantur classes, ad quas singula reuocabimus.

Prima classis argumentorum a *diuinitatis* personae de qua hoc loco sermo est, *vestigis*, petitur, quae, cum in neminem cadat, nisi in Christum, qui deus sit et habeatur, Danidem plane excludat. Eiusmodi vestigia leguntur, ut norunt omnes, ex v. 7. 11. 12. sed vereor, ut expressa satis sint. Nam si celebratum locum sumas *אֱתֵּן בְּנֵי אֱלֹהִים* primo non vident, eum, qui *filius dei* vocetur, non statim esse deum ipsum, et, *genitam esse a deo* communionem diuinae naturae non indicare, *deinde* illud *וְהָיָה כְּאֶחָד מֵהֶם* mirum, quantum premunt, adeo ut vis ei subjecta non solum vocis notationi sed linguae etiam hebraeae genio plane repugnet, quod viderunt ante nos alii, i) vt ne dicam, sensum poeticum ejurasse omnem, qui ita statuant. Idem de v. 11. et 12. dicendum videtur; cui accedit, *וְהָיָה כְּאֶחָד מֵהֶם* v. 11. non filium esse dei, sed Iehouam ipsum, quod orationis contextus suadet, et *בְּעַר אֶתֶּן* de *filio* non dici, sed de Iehoua ipso, quod superiori dissertatione probauimus. Quid? quod *נִשְׁקוּ בְּרַ* si recte interpreteris, nihil habet de filio. Scite iidem rotant rem, quae pingitur, ad hominum *ἀρχιςυαυδων* impietatem et pertinaciam sceleratam accommodant, sed, praeter *accommodationem* nihil video. k)

A 3

Alter

- f) *Grotius* in notis ad h. l. coll. *Caluio* l. c.
- g) *Caluino*, ejusque sequacibus *Musculo*, *Paraco*, item *Enjedino*, aliis.
- b) in libro qui typis nunc excubitur sub titulo: *Idiognomik Davids*, od. *Vntersuchungen über Davids Bildung, Genie, Dichtung, Inspiration, Weissagung, Dogmatik, Moral, Idiopoetik* u. s. w.
- i) *Zachariae*, *Zickler*, alii ll. cc.
- k) Eodem modo b. *Lutherus* apte applicuit hunc ps. ad pontificiorum contra puriorem, quam docebat, religionem, excitas turbas Tom. IV. Opp.



Alter fons argumentationis isque vberimus in *attributis* ponitur, personae, de qua agitur h. l. adscriptis, quae sublimiora sint, quam quae Dauidi aut regi humano conueniant, Christo vero si non Deo, certe Messiae, filio dei, tribuantur tanquam propria. Quae antequam singula perstringimus, in genere notamus, multa in sacris litteris dici improprie et in libris poeticis, cum aliqua figura et orationis tropo nostra loquendi ratione multum audaciore. Quare refellant, qui ista proferunt, quae nos supra de Dauide, filio dei, rege diuinitus constituto, a deo genito, ex locis V. T. parallelis attulimus, antequam nobiscum congregiantur. — Sed descendamus ad singula. (Pudet autem huc ponere, quod ex מלכי ארץ v. 2. משיח v. 2. ex מלך על ציון v. 6. מלכים v. 10. שופטים v. 10. multi afferunt temere, itemque illa, quae ex אנה בער v. 12. exprimunt alii modo refutati, nec nisi de iis dicemus, quae cum aliqua veri specie, objiciuntur.)

I) ex מוכרות v. 3. השכילו יהוורו v. 10. *si* cum מלכים et שופטים conferas, sequi putant, de instituendis ad doctrinam et religionem hominibus et reuocandis ad sanio rem frugem regum etiam procerumque animis sermonem esse, quod Dauidis nunquam fuerit, sed Christi communis hominum doctoris, vnde, doctrina ejus Matth. XI. 30. ζυγος et φορτιον dicatur. Sed bona verba quaeso. עבות et מוסרות sunt leges imperii politici et dominationis vi exactae statuta quae *vincula* dicuntur commode, adeoque et imponuntur et excutiuntur, quod metaphorae genus frequens est in pluribus linguis. Hanc igitur seruitutem sibi injici reges et nolebant et, ne fieret, cauebant, atque vt eo melius cauerent, bellum vltro Dauidi inferebant, illatum gerebant. Caeterum וסר et שכל ipsi de mente corrigenda sumimus, quandoquidem Dauidis mos est ad verum deificultum inuitate idololatriae deditos eosque a superstitione impia reuocare v. g. Ps. XXIX. XVI. CXXXIX. akbi, non quod doctorem eorum agat, sed quod suos in dei cultu contineat argumentis a felicitate externa et humana petitis.

## II.) Quod

IV. Opp. Ienens. lat. fol. 734 sqq. (seorsim editus est Lutheri commentarius a I. I. Rambachio Halae 1738. 8.) quam veram carminis et genuinam explicationem esse, nemo est, qui dicere audeat.



H.) Quod caput rei est, v. 7. Christum *filium dei* h. e. Messiam inueniunt in כְּנִי. Id enim nominis gessisse Dauidem nunquam, ajuunt, Christum vero proprie, dum *υἱοῦ Θεοῦ* sexcentis locis — et quidem *μονογενῆς* Ioh. I, 14. III, 16. 18. *ιδίος* Rom. VIII, 32. *αἰληθῆνος*. I. Ioh. V, 20. *ἀγαπητός* 2. Petr. I, 17. *πρωτοτοκος* Hebr. I, 6, dicatur, ac simile quid de coelo pronunciatum fuerit, Matth. III, 17. XVII, 5. *ὁ υἱὸς μου ἀγαπ.* ἐν ᾧ ἐδόξασα — quod hoc ipsum effectum diuinum (כְּנִי) sit, ad quod h. l. prouocetur. Argumentum sane graues; sed certum tamen est, quid respondeam. Nam *primo* Nathanis oraculum 2. Sam. VII. si cum Ps. LXXXIX. componas idem de Dauide efficit, habes igitur hic illud קָרָן quod in Christo est; *deinde* Christum ista epitheta a Dauide satis distinguunt; *accedit* ipsa N. T. loquendi de Dauide ratio, quae eum *παιδα Θεοῦ* (עֶבֶר, כֵּן) vocat, Act. IV, 27. quemadmodum Christum *παιδα υἱοῦ* v. 28. — Caeterum non dissitemur Iudaeorum, de Messia, tanquam filii dei opinionem ex hoc loco originem traxisse, Christumque illorum cogitandi morem esse secutum.

Magis etiam vrgetur: *אני היום ילדתיך* quod de rege dici non possit, *κτενω* de Christo non tam deo, quam ex mortuis resuscitato. Talis enim a Iudaeis *filius dei* est appellatus. — Sed Iudaeos seriores non curamus, *היום* de tempore sumimus, quod editum est oraculum, et genitum a deo synonymice dictum intellegimus *כֵּן אֵת* vt supra demonstraui. Obstat etiam, quominus vulgarem sententiam sequamur Matth. III, 17.

III, v. 8, quaerunt, quaenam sint gentes Dauidis imperio concessae? quales fines terrae? quippe cuius imperium paucos attigerit; Christo vero subiecta esse omnia ejusque religionem ad cunctas nationes permanasse. Sed quando verba premere libet, vbi factum est hoc aut fiet? Num omnes sunt Christiani aut erunt? Et si hoc est, num gentes etiam *fregit et conuassauit* Christus? אַיִם autem et אֶרֶץ alia omnia indicare, alibi diximus.

Vltimo loco negant de Dauide rem totam valere, quippe qui repudiat a suis nunquam sit; at de Christo, quem aspernati fuerint Iudaei cum aliis. — Sed tenendum est, historiam Dauidicam hinc,  
inde



inde mancā et imperfectā esse; *deinde* ciuū rebellium hoc psalmo mentionem non fieri, sed hostium exterorum, quos Dauidem adortos esse, credibile est, ex 2 Sam. V — VII.

Ad tertiam argumentorum classē pertinent ea, quae ducuntur a *similitudine carminis nostri, quam habet cum Ps. CX.* Unde concludunt, cum hic Messianus sit, illum quoque talem esse habendum. Eam similitudinem collocant cum in argumenti paritate, tum in singulorum verborum loquendique formularum amicitate inter se conspiratione. Comparant enim sententiae huius auctores 1) Ps. CX, 1. cum Ps. II, 7; v. 2. ibi cum v. 6; v. 3. 4. coll. v. 7. 10 — 12. Iam in vniuersum non negamus, conformitatem quandam his odīs intercedere, si totum argumentum spectes; loquitur enim vtraque de rege fiducia in deum Iehouam freto ideoque facili hostium quorumcunque victore; de singulorum autem verborum conuenientia parum aut nihil agnosimus. Certe ex commate tertio nihil sequitur, cum lectio Masoretica מרחם משחרך מל ילרחך sit praefenda, sensusque, quem afferunt, valde illatus videatur. Denique, quod familiam ducit, ne Psalmum CX. quidem in Messianis habemus, quae tamen quaestio huius loci non est. m) Cadit ergo omnis facta inde argumentatio.

Restat quarta argumentorum classis quae pondus habet maximum, *atque de sacris N. T. literis sumitur ex hoc ratiocinio:* Quicumque psalmus in N. T. diserte ad Christum refertur a viris diuinitus inspiratis, is haud dubie est Messianus habendus; Atqui de ps. II. valet prius, ergo et posterius. Quod quidem argumentum ita eminet inter reliqua, vt istorum omnium non solum princeps, verum etiam foecunda dici possit mater. Nec male affirmabimus, de psalmo secundo ad Christum applicando ne somniasse quidem interpretes nisi sacrae N. T. literae id viderentur postulare. Ad quod quidem diluendum accedemus, si pauca prius de Christo psalmo secundo inepte subiecto dixerimus.

Namque

1) Michaelis im *kritischen Collegium* l. c. Danuui Theol. dogm. institut. L. I. p. 176. 199.

m) Herders *Geist der Hebr. Poesie* II. Th. S. 404. cf. liber not. i).



❖❖❖❖❖❖

Namque hanc veniam damus petimusque vicissim, vt, cum alii apte et indubitate Christum hic inueniant, nos, quam dubie id fiat, paucis ostendamus.

1) Gentes illae barbarae, reges ac principes, qui trepida concursatione insurgitasse dicuntur v. 1. 2. quinam illi sunt? quando facta tota res est? Ac Iudaei quidem **יודים** non solent dici? quod barbarorum est — **מלכים, רוחנים** Herodes, Pilatus, Pontifex, vocari non possunt, neque Iehouae illi repugnarunt. Hic afferunt omnes omnium temporum magnates, Christianae religioni aduersantes, quorum satis multos reges proceresque fuisse constet. Verum, quis, quaeso, hoc concoquat? Equis poetae venustatis et aptitudinis tam studioso hoc criminis insigere audeat, vt scenam pinxerit incertam ac vagam, vbi, quo exeat sistatque animus, non habeat.

2) Quae v. 4. 5. continentur, ita aliena sunt a Christi mente, vt e diametro illi repugnent. Is enim bona quaecuis imprecari solebat etiam impiis et inimicis, idque diligenter praecipiebat. Matth. v. 44. Quam dissona sunt haec cum illis Christi: **πατερ, ἀφες αὐτοῖς!** Luc. XXIII, 34. IX, 55. I. Petr. III, 23. Nam si semel sumas, poetam christum canere, necessarium videtur, vt totum eius animum referat.

3) Quo tandem sensu dici potest Christus (v. 6.) rex in Zione constitutus? Num, quod ipse regem se professus est Iudaeorum, Luc. XXIII, 3.? At ipse explicuit, quo sensu illud fieret, et negauit (Ioan. XVIII, 33. sqq.) ad Iudaeorum opinionem, se regem esse. An, quod ex Zione h. e. ex Hierosolymis, tanquam ex fonte effluxit doctrinae suae flumen, et inde in reliquas gentes dimanauit? At frigeret haec metaphora, nec in toto carmine eius indicium est. Repugnat etiam Ioan. IV, 21.

4) Ad v. 7. tenendum, Christum nunquam ad hoc dictum prouocasse, neque facere huc solemnem in lauacro eius vocem coelitus datam, quod ante monuimus.

5) Quomodo, quaeso, petit is, (v. 8.) qui habet omnia? quomodo a patre potest *impetrare* aliquid cum quo habet, quaecunq; illi

B

sunt



funt, communiā? Nec video, quid sibi velint haereditate aut dominio impetratae Christo gentes.

6) v. 9. 12 plane obsunt Christo, ejus pectus amoris plenum complexum est omnes, nec penitus aliquem perditum iuit, *ἦλθε γὰρ ἰνὰ σωθῆ ἅπαντας, μαλιστα τε τῆς ἀμαρτωλῆς.*

7) v. 11. Minor est scopus, quam is, quem Christus sibi habuit propositum. Is enim tendebat, non vt reuererentur ac timerent deum homines, sed *ἰνὰ ζῶν ἔχωσι καὶ περισσόν* Ioan. X, 10.

His ita constitutis accingimus nos ad frangendam illius argumenti vim, ad quod tanquam ad caput Medusae obstupuerunt interpretes, sibi que abstinendum potius a re tota censuerunt. Iam non ii nos sumus, qui negare velimus, hunc psalmum in N. T. de Christo explicari. Age potius, quibus locis, quae ratione illud fiat, diligenter videamus, candido expediamus.

Primus locus est Act. IV. 25 — 27. vbi Apostoli custodia in quam Christi causa erant coniecti, liberati solemniter omnes (Lucae verbis puto, qui bonorum scriptorum more subiicit illis, quod dicerent. Nam quomodo omnes idem orare potuerunt? — Et quemnam fuisse, credamus, qui calamo statim orationem exceperit?) gratias deo agunt, eumque iubent, vt imposterum aduersariorum consilia disiiciat, quemadmodum et nunc fecerit, et ante, Davidis tempore. — Ex quo tamen loco, vt fatear, nihil ad explicandam vim carminis nostri sequitur. Videntur enim, siue Apostoli, siue Lucas, similitudinem solam vrgerē, quae est inter *Δαβὶδ παῖδα Θεοῦ*, et *Χριστὸν ἅγιον π. Θεοῦ*, inter Davidem *Χριστὸν*, et inter Iesum *ὃν ἔχρισε Θεοῦ*. quae est in *συνήχθησαν* et *λαοῖς* et *ἐθνεσι*. Vnde Davidis verba, tanquam scriptoris eximii et ad hanc rem apti, laudant, quemadmodum nos fere h. l. afferimus illud Horatii: Quoquo scelesti ruitis etc. aut illud Virgilit: Iamque faces et saxa volant rel. Id quod apparet ex eo, quod v. 27. *ἐπ' ἀληθείας*, accommodationem innuunt, et deinde statim abrumpunt comparationem coeptam, vbi similitudo desinit. Hunc igitur locum fere negligimus.

Sequi-



Sequitur Act. XIII, 32. 33. de quo prolixiore sermone uteremur, nisi nos occupassent alii <sup>n</sup>). Paucis igitur verbis consilium Apostoli declaremus, sensumque totius loci explicemus. Ac de duplici quidem *ἡγεσσει* s. *ἀνάστασει* Iesu Paulum ibi agere, altera ad munus Messianum, altera ex mortuis, nemini dubium videbitur, qui locum in contextu (v. 23. — 36.) legerit. Sic enim progreditur ratiocinando Apostolus: „Iesum, ex Davidis posteris prognatum deus excitavit, (*ἠγέρσεν, ἠγάγειν* h. e. *εἰσηγάγειν* Hebr. I, 6. Vid. *Griesbachii* N. T. ad Act. XIII, 23.) *sospitatorem*, talemque promissum antiquiori aevo introduxit, et suas res inter vos habere iussit. Hunc vos vestrique proceres suspensum de cruce sepulchro condidistis, conditum ille resuscitavit. (v. 30. *ἠγέρσεν ἐκ νεκρῶν*.) In quo nihil aliud illi fecerunt, quam quod de illo cecinerant ac promiserant prophetae vobis egregie cari probatim. Nuntiamus igitur, vobis vestrisque contigisse videre completam promissionem maioribus factam (v. 32.) tum illam de excitando servatore (Messia) *Iesu*, qui inter vos vixit, (*ἀνάστησας* h. e. *ἡγέρσας, העמיד, הקים, הרים, נסך* Pf. II, 6. LXX. *κατάσταται*), quae Psalmo primo legitur his verbis: *υἱός μου εἶ σύ, ἔγω σημερον ἡγεννηκα σε* (h. e. ex Pauli sententia, *ἠγέρσα, ἠγάγον*, ostendi Iudaeis) tum illam qua idem resurrecturus de mortuis dicitur (Pf. XVI.) v, 34. coll. v. 30.“ Quam quidem duplicem Christi *evocationem* nescio an satis distinxerit P. duplici *ἔτι* quod v. 23. et 34. (*ἔτι δε*) posuit. Vides igitur Paulum hoc loco id agere ut Iesum promissum Iudaeorum servatorem esse (*σωτήρα ἑπαγγελόμενον, ἐπαγγελίαν πρὸς τὰς πατέρας γενομένην*) extra omnem dubitandi aleam ponat.

Loco Paulino ad Rom. I, 4. hoc loco abstinemus, tum, quod nulla ibi exstat psalmi nostri diserta allegatio, tum, quod eius vis ac ratio mirum quantum similis est effato Paulino, quod modo excussimus *o*).

B 2

Restat

<sup>n</sup>) Zachariae, de usu dogmat. nom. filii dei disput. §. XVI. Danouii dissp. Iesus Christus, filius Dei 1776. 1777.

*o*) Vid. Heilmanni disquis. de h. l. not. c.





Restat illustris ad Hebr. I, 5. huius psalmi excitatio, quam, cum perperam vulgo capi videam ab interpretibus, paucis illustrare conabor. Deus dicitur nouissimo tempore locutus ad homines per *filium suum*, (ἐν υἱῷ, כִּבְיָוִי) qui est κληρονομος παντων, δι' ἃ, τῆς αἰῶνας ἐποίησεν, ἀπαυγασμα τῆς δόξης αὐτῆς etc. Atque haec singula illi conuenire attributa, locis ex scriptura Veteris Testamenti confirmat deinceps, quae, vt clarius pateant, sibi inuicem opponamus. Atque is quidem vocatur.

- |  |   |
|--|---|
| 1) υἱός Θεοῦ (υ. 2.)                           | υ. 5. υἱός μου εἶ συ, ἔγω etc. ἔσα μοι εἰς υἱόν.    |
| 2) κληρονομος παντων (dominus vniuersi.)       | υ. 6. προσκυνησατωσαν αὐτῷ (tanquam domino) παντες, |
| 3) δι' ἃ ἐποίησεν τῆς αἰῶνας.                  | υ. 8. ὁ Θεὸς σε, εἰς τον αἰῶνα τῆς αἰῶνας κ. τ. λ.  |
| 4) ἀπαυγ. δόξ. κ. χ. τ. υ. α.—κ. τ. λ. (υ. 3.) | υ. 10. συ κυριε κατ' ἀρχὰς τῆν γην ἔθεμελ. etc.     |
| 5) ἐκασθ. ἐν δεξ. τ. μ. ε. υ (υ. 3.)           | υ. 13. καθε ἐκ δεξιῶν μου.                          |

Vnde, vel me tacente, efficitur, Paulum ex Psalmo secundo Christum tantum demonstrare *filium dei*; quod idem ille deus sit, ex aliis locis probare conatur. Caeterum si qua mentem Apostoli assequor et est huiusce rei ratio a diligenti harum rerum studio profecta, aut ego fallor admodum, aut hoc ex his Pauli dictis consequitur:

- I. illum Iesum *psalmo secundo* subiectum credidisse.
- II. immo tanquam Messiam, (*filium dei*) a deo excitatum ibi inuenisse praedicatum, hocque P. exemplum
- III. postulare, vt credamus reliquos Apostolos idem statuisse, et quidem
  - a) neque per duplicem aliquem sensum, quem ignorant penitus sacrae literae,
  - b) neque per meram accommodationem, quam loca Act. XIII. Hebr. I. plane refugiant p).

Iam



Iam licet concedamus quod in praemissis erat alterum, psalmum istum ab Apostolis de Christo explicari; tantum tamen abest, ut causa cadamus nostra, ut potius ostendere audeamus, nullo modo cogi nos, ut Apostolorum in hoc genere auctoritatem vnicè sequamur, cum satis constet, eos Veteris Testamenti genuinos atque omni exceptione maiores interpretes q), esse

I. neque *voluisse*. Nam ubi hoc ferunt prae se? ubi simulant? ubi, id consilii sibi habere propositum, aut hanc se artem profiteri vel videri volunt? Satis illis erat, suum ingenium suamque explicandi rationem, quam vel nacti vel edocti erant, sequi. Hinc Paulus aliter argumentatur, aliter Petrus; aliter eundem V. T. locum explicat et applicat Ioannes, aliter Lucas, prouti vel ingenium fert, vel locus suadet, vel doctrina cuiusque patitur, vel animus oratoris rapitur.

II. neque *debuisset*. Nam quis hoc illis mandavit? Quis tanquam officium iniunxit? — Neque Christus: Is enim dixerat: κηρύξατε το εὐαγγέλιον, non: διηγησάθε τὴν παλαιὰν διαθήκην. — Neque Deus per πνεῦμα illud ἁγίου, de quo nullibi nec vola nec vestigium est. — Neque muneris ratio postulavit. Equis enim affirmare audeat tanti hoc esse ut, hac arte sublata, dignitas eorum Apostolica vel cadat vel imminuatur? Eorum potius erat, Christi κατ' ἀνθρώπων, (quae eius erat prudentia) argumentantis exemplum imitari, et communem tum temporis Iudae-

B 3

- p) quam multi vrgent cernere. Leguntur tamen de hac re egregie excogitata eleganterque dicta apud Herderum, *Briefe das Studium der Theologie betreffend* Th. II. S. 290. sqq.
- q) Praeclare egisset Ven. *Schlegel* in disquis. Cognitio Apostolorum sacra maior minorne sit, cognitione nostrorum temporum 1783-8, si hanc quaestionem tetigisset apertius, accuratius dissoluisset.





Iudaeorum, etiam doctissimorum, vbique allinendi Vet. Test. dicta et Messiam undique exprimendi morem, sequi. Quid? eorum explicandi ratio, si vel minus vera sit, obfuitne salutiferae Christi inter Iudaeos disseminandae doctrinae, an profuit? nocuitne vnquam an nocet nunc? — Desinamus igitur, hac in re esse sollicitos, nec lauream, quod aiunt, in mustaceo quaeramus.

*Deinde* ex omnibus fere, quae laudant ex Veteri Testamento, dictis, etiam postquam inflati sunt spiritu diuino, cuique patet.

- I. Eos textum hebraeum fere negligere et saepe versionem Alexandrinam ibi premere, vbi plane aliena ab hebraeo habet r) v. c. Rom. I, 17. coll. Hab. II, 14. et a. h. g.
- II. loca tota ex contextu rapere et contra omnem orationis nexum argumentari, quod videre est Act. I, 20. coll. Ps. CIX, 8. et in locis aliis.
- III. singula verba nimis vrgere contra omnem vocis notationem ac vim. v. g. Hebr. I, 10. coll. Ps. CII, 26. ib. 7. coll. Ps. CIV, 4. etc. quae quidem omnia *honorum* atque *vnice verorum interpretum* esse, nemo facile dixerit s).

Quae cum ita sint, commode licebit nobis, vt de omnibus Apostolorum ex V. T. allegationibus, ita imprimis de Psalmo secundo, statuere:

a) Verum

- r) Qui plura de hac re exempla cupit legere, videat *Lud. Cappelli* Criticam sacram Paris. 1650. p. 89. et *Humfr. Hodium* de biblior. textibus originalibus.
- s) Qui haec iusto breuius tractata a nobis reperiat, aut criminetur adeo, sciat, nos non nisi summas rerum et primas quasi lineas ducere voluisse, multa reticentes animo, quae suo loco dicentur, omnia seruantes libello a nobis edendo: *Veber die Kenntniss der Apostel vnd veber die Citationen des Alt. Test. im Neuen.* Nunc enim sumtibus est parcendum et libelli moles ingrauescens coercenda.



- a) Verum atque vnicum eius sensum esse eum, qui ex optimis interpretandi regulis et quasi ex se nascatur, adeoque scriptio<sup>n</sup>is loco, tempori, auctori conueniat maxime.
- b) nihil turbari illum sensum Apostolorum aliter interpretantium exemplo, quippe qui pluribus causis poterant impelli vt aliter alia, et his, vt psalmum secundum de Iesu Messia explicarent:
1. similitudine non vna inter Dauidem et Christum h. l. deprehensa,
  2. communi Iudaeorum tum temporis, hunc psalmum de Messia intelligendi more,
  3. Messiae nomine illo celebrato, *uicis Oeg*, quod Christus gesserat inter homines —
- c) Laudandos videri Apostolos, quod ita fecerint, excusandos, quod Dauidem neglexerint, probandos, quod nobis aliquid in explicando vet. Test. reliquerint. — —

Iam, cum Psalmum secundum de Christo explicare neque argumentum et contextus patiat, neque interpretum pro hac sententia pugnantium rationes cogant, neque Apostolorum allegationes postulent, quod in hac dissertatione vicimus; contra omnes bonae interpretationis leges Dauidem vnice suadeant, immo exigant talem, ad quem omnia referantur, quod superiori volumine demonstrauimus: sequitur, veriore ac faciliorem explicandi rationem tenendam esse tuendamque, donec refutatis argumentis nostris, verisimiliorem ostenderit aliquis, aut, Apostolorum auctoritatem tanti habendam esse demonstrauerit, vt, quae aliunde petuntur atque ducuntur argumenta, nihili sint habenda ac prorsus negligenda.

— — Si quid nouisti rectius istis  
Candidus imperii; si non, his vttere mecum.









Fd 3984

ULB Halle 3  
002 164 590




TA-OL

V317

MW









B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres

Inches

ARVM

IN

SECUNDVM

RIORVM

ALTERA.

VAM

E MAGNIFICENTISSIMO

VCE AC DOMINO

IINO

AVGVSTO

CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE

ALIAE ETC.

O PHILOSOPHORVM ORDINE

RO

ATIS PHILOSOPHICAE

OBTINENDO

ARI MDCCCLXXXIV.

ENDET

DOFREDVS HASSE

. ADJ. DESIGN.

NAE

TRAVSSIANIS.

87

h.